

CAPUT III.

De dissolutione conjugii quoad vinculum.

Cum de dissolvendo ipso conjugii vinculo agatur, quo nimirum dissoluto aut uterque, aut alteruter conjux novis possit nuptiis copulari, vix opus est in primis monere, illum morte alterutrius dissolvi; id enim expressè docuit Apostolus in epist. 1. ad Corinth. c. 7. ibi: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vivit, nubat.* Hanc regulam Romani veteres latius, quam par est, in suis legibus extenderunt, sancientes, eam habere locum, etiam ubi non naturalis, sed civilis, seu fœcitia mors intercessisset, qualis intercedere dicebatur, ubi quis in captivitate, seu servitutem redigeretur, l. 45. in fine ff. de ritu nuptiar., l. 1. ff. de divortiis, l. 56. ff. solut. matrim., adeo ut Triphonius in l. 12. §. 4. ff. de captivis, scribere non dubitaverit, captivi uxorem ne in matrimonio quidem esse posse, etiam si animum habuerit, & retinuerit permanendi in conjugio, & in domo mariti habitet. Eadem ratione tradiderunt, dissolvi quoque conjugium per deportationem, quasi deportatus effectus fuerit servus pœnæ, dicta l. 56. ff. solut. matrim. Eoquidem Justinianus Imperator in deportatis eam disciplinam abolere statuens, servos pœnæ eos non effici, Nov. 22. cap. 8., at in captivis adhuc veterem traditionem retinuit, Novella 22. cap. 7. Nov. 117. cap. 12. Quanam causæ esse potuerint Romani juris conditoribus, ut ista reciperent, inferius pandam, quum nonnulla tradam de veteribus Quiritium de re-pudiis. Tantum dicam hoc in loco, Justinianum Imperatorem ex Jurconsultorum philosophia putavisse, non aliter matrimonium consistere posse quam inter eos, quorum conditio esset æqualis; longè autem distabat conditio servorum à

conditio civium Romanorum, dicta Novella 22. cap. 7. Ceterum id displicuit Leoni Philosopho, qui in sua Nov. 33. eam disciplinam penitus voluit abrogatam, & quando in Ecclesia expressis canonibus definitum est, conjugia servorum esse etiam Sacramenta, dummodò ea concurrant, quæ ad Sacramenti celebrationem necessaria sunt, prævaluit, atque adhuc hodie observatur Leonis Imperatoris traditio, ut per captivitatem matrimonia non dirimantur.

Olim quoque ex Romanis legibus scimus aliquando permissum, ut mutua dissentione conjugum matrimonii vinculum dissolveretur, eodem modo, quo mutuo consensu necēbatur; juxta vulgarem juris regulam, quæ suadet, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. Nihil dico de legibus eisdem Romanis, de iis enim inferius sermo instituetur. Quod si de regula quærat, suadente, unumquodque eo modo dissolvi, quo est colligatum, ista quidem generaliter recipi potest, ubi auctum dissolvi tantum intersit privatorum, nihil autem intersit rei publicæ. At dissolvi conjugia, vel non dissolvi, non tam privatorum interest, quam Reipublicæ, & Religionis, adversus quam non licet privatis contrahentibus, vel distrahentibus pacisci. Res perspicua esset, nisi in medium proponeretur canon 4. caus. 27. quæst. 2., ita conceptus sub nomine Joannis Chrisostomi: *Omnia res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas; & ideo non solvis illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit conjugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam etsi corpore jam separatus est, tamen adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plane dimittit. Non ergo qui dimittit, machatur,*

sed

sed qui alteram ducit. Quid ad hunc canonem dicendum sit, jam in meis animadversionibus in Gratianum codicem adnotavi. Tantum dicam, opus imperfectum in Mathæum non esse Chrisostomi, sed viri involuti erroribus Marcionis, Tatiani, & Montani, proptereaque neminem ejus monumenti auctoritate teneri.

Ex doctrina Apostoli Pauli dissolvi conjugii vinculum potest, quod fuit in infidelitate contractum, quando alteruter ex conjugibus ad Christi fidem convertitur, altero in infidelitate permanente. Verba Pauli leguntur in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. ibi: *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quid si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in hujusmodi. Considerabat Apostolus, tria esse naturalia hominum aut inter se, aut adversus Deum officia; quorum primum est hominum in Deum, alterum conjugii in conjugem, postremum filiorum in parentes, vel è converso parentum in filios. Hæc sanè officia certo ordine invicem sunt, quorum nimirum aliud alio præstantius est, ac nobilius, proptereaque aliud alii anteferendum. Nobilius sanè est officium hominum in Deum, cuius causa, ubi opus sit, & liberi & conjuges sunt dimittendi, quum gravissimo sint offendiculo; quò spectat Evangelicum præceptum, quo jubemur, ut propter nomen Christi & uxorem & filios relinquamus, Matthæi cap. 19. in fine. Imò & cum Christus Dominus etiam jussisset, ut projiceremus à nobis pedem, aut oculum, si in iis scandalizaremur, præceptum eo ipso fuisse videtur, ut si scandaloso uxor esset, ea quoque abjiceretur; neque enim alia ratione in cap. 2. Genesios uxorem non abjiciendam esse à vi-*

ro traditum est, quam quòd uxor esset unum os ex ossibus, viri, & una caro cum viro. Post officia hominis in Deum succedunt officia viri in uxorem, & uxoris in virum, & ista antefertur officii parentum in liberos, & liberorum in parentes, unde profuxit alterum naturale præceptum à Deo expressè confirmatum in cap. 2. Genesios. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ. Quemadmodum igitur insuper habenda sunt officia parentum & liberorum, quando alii postulant officia viri & uxoris, ita insuper habenda erunt officia viri & uxoris, quando alii postulant officia in Deum exhibenda. Neque dicas, in horum conspectu similem recipiendam fore disciplinam, ubi de conjugate alterutro hæretico, aut à fide apostata agatur, aut etiam ubi talis sit conjux, qui in crimina alterum conjugem inducat. Etenim observo in primis, satis prospectum esse in his speciebus conjugii Catholico, & insonti, si cohabitatione tenuis vitæ rationem dissociet; deinde observo, non adeo facile trahi posse conjugem in fide, & proba doctrina altum & educatum, in errores, & crimina conjugis apud hæreticos, aut extraneos quoscumque deficientis, quemadmodum trahi posset, qui post conjugium in infidelitate contractum, educatus olim apud infideles recens baptismate ablatus est, & Christo regeneratus.

Ex his liquet, non quidem ipso jure dissolvi matrimonium in infidelitate contractum, statim ac quis ad fidem Christi convertitur; sed teneri primum baptizatum conjugem sciscitari ab infideli, an velit & ipse converti, aut saltem velit cohabitare, quin injuriam in Christianam religionem inferat ullam, baptizatumque à fide removeri conetur. Etenim si infidelis conjux aut converti ipse velit, aut habitare consentiat sine molestia, libenter, & sine mœnore patiendi, baptizatum in fide suscepta constantissimè perseverare, matrimonii vinculum dissolvi nullo modo poterit. Tum

Hh

de-

demum autem dissolvetur, quum conjux infidelis & pervicax sit in infidelitate, & non alio animo habitare velit cum baptizato, quam ut eundem a fide dimoveat. Quid ergo, si infidelis interrogatus nihil respondeat? Erit abs judice præfigendus dies, quo elapso, & nullo dato responso, res sese habeat, ac si molestum Christiano futurum se infidelis profiteretur. Quid item, si infidelis & diu, & procul absit, & eo in loco, in quo facillè interrogari nequeat? Usus obtinuit, ut hac in specie dispensatio obtineatur à Pontifice Maximo, ut baptizatus nullo præcedente interrogatione nuptias alias contrahat dissoluto priore vinculo, uti testatur Benedictus XIV. in lib. 6. de Synodo Diœcesana cap. 4. num. 3., ubi etiam tradidit num. 4., conjugum primum, id est in infidelitate contractum, tum demum, cum secundæ nuptiæ contrahuntur, dissolvi. Itaque si interrogatus infidelis respondeat, se habitare nolle sine injuria Christi, poterit baptizatus secundas contrahere nuptias, votum solenne continentiæ elicere, seu suscipiendo sacros Ordines, seu religiosam vitam proficendo, ac tum à priore conjugio liber esse dicitur. Quod si nec nuptias ineat alteras, nec solenni continentiæ voto se interea obstringat, nondum omninò dissolurum est primum conjugium; eamque ob rem si re integra conjux infidelis abjecta pervercia baptismum petat, & convertatur ad fidem, consolidari, ac restaurari idem conjugium debet, etiam si fortè conjux infidelis, dum fidelem sequi detrectavit, secundum jam conjugium invisisset. Finge nunc eum converti, qui nuptias contraxisset in infidelitate cum ea, cum qua apud nos nullum esse connubium potest, licet apud infideles consistat. Ubi ambo conjuges, vel alteruter convertatur, tanquam irritum omninò illud conjugium declarabitur, si juri naturali, aut divino adversetur; at si tantum refragabitur jus ecclesiasticum, non ideo pro irritato conjugium habendum erit, quod vul-

gatissimum sit adagium, legibus ecclesiasticis non teneri non baptizatos, cap. 8. de divortii. Finge aliam speciem: Infidelis quidam juxta morem patriæ suæ plures duxit uxores, deinde ad fidem Christianam convertitur, primam tantum conjugem habere poterit, à ceteris abstinere. Quod si prima converti nolit, nec velit sine injuria Christiani nominis cohabitare, nihilominus liber erit à ceteris, cum quibus nullum unquam fuisse matrimonium intelligitur, quod divino jure interdictum in Evangelio fuerit pluribus jungi, dicto cap. 8. de divortii. Denique quæri potest, an liberi ex eo matrimonio suscepti in infidelitate, converso uno ex conjugibus, sint baptizandi? Sanè si liberi jam infantiam egressi proponantur, sintque jam septennio majores, voluntati suæ relinquendi esse videntur, neque enim quis invitatus ad religionem adducendus est Christianam. At si infantes adhuc sint, possunt quidem baptizari, nullo habito discrimine inter patrem conversum, aut matrem, dummodò ita res fiat, ut liberi apud conversum educentur ad evitandum gravissimum apostasiæ periculum, canone 10. caus. 28. quæst. 1., cap. 2. de conversione infidelium.

An per professionem religiosæ vitæ in monasterio factam matrimonium jure antea contractum dissolvatur quoad vinculum, disputatio fuit celeberrima, quæ juris ecclesiastici studiosos plurimum defatigavit. Quoties de matrimonio consummato agatur, constantissimum habemus ecclesiasticorum Patrum traditionem, quæ docet, viro non licere uxore invita, aut ignorante, seu de converso non licere uxori invito vel ignorante marito, monasticam vitam profiteri, quam si fortè profiteatur, debere conjugem postulante reverti, can. 1. & sequentibus can. 33. quæst. 5., quod adeo verum est, ut etiam si mortuus sit conjux, redire ad monasterium minimè teneatur, cap. 3. & 12. de convers. conjugat. Verum uxore consentiente pote-

rit

rit maritus religionem profiteri, dummodò ipsa uxor sanctimonialium vitam profiteatur, aut saltem perpetuam continentiam voto se obstringat, cap. 1. de convers. conjug., quod sanè ex Episcopi arbitrio pendebit, judicaturi pro personarum adjunctis, an expediat, uxorem potius monasterio addici, an ferendum sit, tantum tam voto continentiam obligari remanentem in sæculo, can. 22. & 23. caus. 27. quæst. 2., cap. 4. 8. & 18. de convers. conjugat., quamobrem liquet, hac in specie non dissolvi pœnitentis conjugii vinculum, sed potius conjuges perfectioris vitæ incunda gratia dissociari. Neque his opponatur aut lex 53. cod. de Episc. & Cler. s. ult., aut Novella 123. cap. 40., quibus constitutionibus conjugi in sæculo remanenti concessum videtur secundas nuptias contrahere; etenim constitutiones illæ à Sanctis Patribus nunquam probari, aut recipi potuerunt, quasi divino juri contrariæ, quemadmodum ratiocinatur Gregorius Magnus in can. 19. & 21. caus. 27. quæst. 2., quamquam in eo videatur excusandus Justinianus, quod crederet, in divini juris interpretatione locum esse posse fictioni, sicuti locus aliquando factus est in interpretatione juris humani. Siquidem cum vulgare esset adagium, monachos pro mortuis haberi, putavit ille, marito monasterium ingrediente, eodem modo dissolvi conjugium, ac si eo mortuo dissolveretur, uti ex laudatarum constitutionum verbis adparet. Atque ea fictio eò facilis ab Imperatore fuit admessa, quò frequentius ex aliis causis divortia conjugum tum permittebantur ex juris Romani disciplina. Aliud sanè traditum est, quoties agatur de matrimonio legitimo quidem & rato, nondum tamen consummato; hoc enim conjugium omninò dissolvi etiam quoad vinculum placuit, si alteruter ex conjugibus monasticam vitam profiteatur, & licere conjugi relicto alias nuptias celebrare, cap. 2. & 7. de convers. conjugat.; quæ traditio confirmata fuit in Tridentino Conci-

lio sess. 24. de Sacram. matrim. can. 6. ibi: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solennem religionis professionem alterius conjugum non divini, anathema sit.*

Plurimum interest hanc Ecclesiæ definitionem accuratè explicare; novi enim, quam obscura sint, & parum apta, quæ à nostris Interpretibus in hac re profertur argumenta. Si quidem vulgò traditur à nonnullis, magis firmum esse conjugium consummatum, quam sit ratum tantum, quasi secuta traditio, urentibus similitudine emptionis venditionis traditione firmata, quæ difficillius rescinditur, quam emptio venditio nudo celebrata consensu. Interea verò cum sentiant facillè demonstrari posse, firmitatem vinculi conjugalii oriri potissimum ex contractus celebratione, in qua Sacramentum perficitur, & mysterium inest individualis conjunctionis Christi & Ecclesiæ, verba, ut verum fatear, congerunt verbis, germanam Ecclesiæ sententiam vix attingunt, præsertim in conspectu capituli 5. de sponsa duorum, quo reprobata fuit consuetudo Mutinensium, qui putabant, conjugium consummatum, ubi corporum traditio facta dicebatur, præferri alteri conjugio præcedenti tantum rato; quasi sine corporum traditione conjugium esset infirmius, allato etiam memorato emptionis venditionis exemplo. Non defuerunt etiam, qui mysteria mysteriis compararent, & sacris sacratoriæ præferendo, consummatum rato conjugio prætulerint, quòd crederent in conjugio tantum rato esse mysterium conjunctionis Christi & Ecclesiæ, & in conjugio consummato esse mysterium conjunctionis duarum naturarum, divinæ & humanæ in una Christi Persona. Condonanda esset hæc observatio Asceticis hominibus, qui plus æquo provehent rerum divinarum meditationes, quas minus aptè certis hominum actibus veluti figuris accommodarent; ac Jurisconsultorum prudentiæ parum apta esse videtur. Cæterum opinio hæc, qua

Hh 2

cre-

credatur, majorem esse vim consummati matrimonii, quam rati, quæcumque causa aut ratio fingatur, pervasis duodecimo sæculo plurimum animos, imò etiam recepta fuit singularibus aliquarum Provinciarum consuetudinibus, juxta quas aliquot Pontifices Maximos respondisse, testatur Alexander III. in cap. 3. de sponsa duorum, & clarius in cap. 3. eod. tit. in 1. collectiōe Decretalium in illis verbis: *Quamvis quidam alii aliter sentiant, & aliter etiam à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Verùm postquam veniam dederimus ita opinantibus, quòd tunc temporis vulgaris esset clandestinorum, & quæ ex præsumptione emergent, connubiōrum consuetudo, nec facilè esset ostendere, consensum de præsentī interfuisse in primo conjugio, ubi aliud conjugium secundo loco initum, & consummatum adpareret, concludemus, & opinionem, & consuetudines illas singulares omninò fuisse damnatas, nec generaliter majorem datam fuisse consummato, quam rato tantum conjugio firmitatem, dicto cap. 3. & ult. de sponsa duorum. Alii Justinianum secuti in dicta l. 53. cod. de Episc. & Cler., & dicta Nov. 22. tradiderunt, ideo dissolvi conjugium ratum per ingressum alterutrius conjugis in religionem, quia religiosus mortuo æquiparatur, argumento canonis 53. & 54. caus. 2. quæst. 7. Sed nemo statim non videt, hac in re fictioni prævalere veritatem debere, atque eandem fictionem, quoties admittatur, facilè operaturam eundem effectum in matrimonio consummato. Alii secuti, & Gregorium Magnum in can. 19. & 21. caus. 27. quæst. 2., & Alexandrum III. in cap. 2. de convers. conjugat., tradiderunt, tùm demùm repugnare, alterum conjugem monasticam profiteri vitam, quando factisunt una caro, ne illud absurdum eveniat, ut una eademque caro uno eodemque tempore in monasterio sit, & extra monasterium. Verùm quousque ista ratio nobis indicat, & Alexandri, & Gre-

gorii eam fuisse sententiam, ut conjugium consummatum non dissolvatur, quando dissolvitur ratum religiosa secuta professione, facilè admittetur; sed si quisquam eò ulterius contendat, ut persuadere velit, his veluti fundamentis Ecclesiæ doctrinam stabilitam à laudatis Pontificibus Maximis fuisse, facilè adsentiri non possumus; siquidem non ignoramus, sicut in conjugio consummato una fit conjugum caro, ita in conjugio rato unum fieri consensione conjugum animum; quo supposito jure postulabimus, quomodò fieri possit, ut unus factus animus possit esse intra, & extra monasterium, quando admittunt, conjugium ratum religiosa professione dissolvi; si non percipiunt, quomodò una facta caro intra & extra monasterium esse possit. Non persequor ulterius hoc & similia argumenta, statim enim multa emergent, quibus tempus terere inanibus tritis videret.

Itaque solidiora aperiāmus gravissimæ doctrinæ fundamenta. Jure divino indissolubile conjugium est; major etiam tum accessit conjugio firmitas, cùm in Evangelio in conjunctione viri, & uxoris figura fuit proposita conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quod sanè potissimum in conjugio rato adparet. Hinc aiebat Christus Dominus: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quam igitur præceptum est, ne homo sejungetur conjunctos à Deo, perspicuè innuitur, conjunctionem ejusmodi Deo reservari, quemadmodum observavit Innocentius III. in cap. 2. de translat. Episcop. Deus autem nullibi verbo suo testatus est, se nunquam conjugia legitima, & à se semel juncta dissoluturam; imò & constat aliquando voluisse disjungere, quando per Apostolum Paulum permisit infideli accedenti ad Christianam fidem conjugio in infidelitate contracto liberari, ubi suscipiendæ, vel recens susceptæ fidei ratio id postularet. Quomobrem si alterum conjugem Deus ad ineundam vitam monasticam vocet, Deo jubenti erit ob-

obtemperandum; atque conjugium tunc dissolutum non alia, quam divina auctoritate rescissum videtur, aut ait Alexander III. in cap. ult. de convers. conjug. in 1. collectiōe Decretalium. Porò divina voluntas aut generalis est, quæ in sacris litteris exprimitur generalibus propositis institutionibus, quemadmodum illa, qua traditum scimus, conjugia infidelium aliquando baptismo suscepto rescindi; aut singularis, quæ vulgò divinæ inspirationis certum hominem illustrantis nomine appellatur. In hac specie dissolvendorum conjugiorum ineundæ monasticæ vitæ causa, generale Dei præceptum non habemus, quemadmodum habemus de dissolvendo conjugio causa fidei Christianæ; siquidem Christianæ fidei causa præterquamquod omnium maxima, & gravissima omnibus etiam omninò hominibus communis erat, & digna propterea fuit, quæ ex Dei clementia generalibus institutionibus promoveretur. At causa monasticæ vitæ singulares quosdam à Deo selectos homines solummodò respicit, quos propterea concitat interior singularis mentis illustratio, & divinus impulsus. Hic autem divinus impulsus duplex esse potest, nimirum ordinarius, quem regulariter in eo præsumimus, quicumque ad monasticam vitam se vocari sentit, ac proficitur; & extra ordinem datus, qui ex gravioribus quibusdam argumentis adparet, quem mira quedam, & præter naturam emergentia, procul omni dubitatione demonstrant. Posterior hæc ratio vocandi homines ad vitam monasticam infrequens admodum est, atque instar miraculi, quam propterea superare omnem legem, adfirmavit Innocentius III. in cap. 14. de convers. conjugat.; ubi verò de ea constat judicio Ecclesiæ, non dubito, quin statim ad dissolutionem etiam consummati conjugii deveniendum sit, non homine tunc, sed Deo conjugium dissolvente, quemadmodum de conjugio Sancti Theonæ refert Cassianus collat. 21. cap. 20. Quid

enim repugnat, ex iis, quæ extra ordinem divina potestate fiunt, extraordinarios effectus proficisci? At quoties agitur de priorè, seu ordinaria divinæ vocationis specie, hæc quidem explorari solet variis institutis probationibus, sed humano tantum modo attingitur ita, ut probationibus positis gravissime ad summum conjecturæ divinæ voluntatis emergant, non de eadem divina voluntate certò adeo constet, ut nulla omninò superesse ne levissima quidem dubitatio possit. Hinc sequitur, quoniam præcipua divinæ voluntatis interius moventis testis est ille ipse, qui ad religionem adspirat, plurimum ipsius testimonio tribui, quoties tales conjecturæ sunt, ut verosimiliter adpareat, illum reverè divina voluntate moveri; neque in contrarium gravis esse suspicio potest, ne fortè alia de causa, quam divino impulsu, ad monasterium accedat. Quòd si suspicio nec levis suboriat, ne fortè monasticam vitam quærat aliis de causis, ordinariæ divinæ voluntatis exploratio non sufficit, neque Ecclesiæ divinam voluntatem facilè existere judicat, nisi de ea aliter, & clarius constet. Itaque cùm matrimonium est consummatum, si conjux ad monasticam vitam amplectendam à Deo moveri se dicat, ex ordinariis tantum probationibus divinam voluntatem non satis Ecclesiæ colligit, quòd plurimas subesse posse causas agnoscat, quibus præter Dei voluntatem conjux ad vitam mutationem adducatur. Quid enim, si tædat illum aut maritalis in uxorem, aut paternæ in liberos curæ? Nonne etiam metu electio religiosæ vitæ extorqueri à marito facilè poterit? can. 2. caus. 33. quæst. 5. Non memoro alia similia bene multa, quæ emergere possunt post diuturnam conjugum conversationem; unde dubitare jure Ecclesiæ possit de divina vocatione, quidquid unus ex conjugibus serò adfirmet; atque in dubio optimum consilium est, ut firmum tueatur conjugium, quod fuisse à Deo junctum certissimè constat. In matrimonio nec.

necum consummato, ubi alteruter conjux dicat, se moveri à Deo ad religiosam inveniendam vitam, dicenti facilius creditur; cum enim nullæ esse videantur, quæ contrarium indicent, conjectura, satis est Ecclesiæ, ordinario more divinam explorare voluntatem, qua ordinario more explorata declarat, verè à Deo vocatum conjugem, ac proinde contractum conjugium auctore Deo dissolvi.

In claro lumine, uti liquet, collocata est ratio, quare per religiosam professionem dissolvatur rati, non consummati conjugii vinculum. Ex quo facile etiam colligitur ratio, quare non similiter dissolvatur per sacri Ordinis suspensionem. Etenim divina voluntas, ubi agatur de Ministris sacris ordinandis, non pendet præcipuè ex testimonio illius, qui est ordinandus, sed potius pendet ex iudicio Ecclesiæ, quo quis ad sacram ordinationem vocatur; hinc neminem novimus ad monasticam vitam reluctan-tem adductum, scimus autem sanctissimos viros etiam invitatos ad ordinationem Clericalem attractos Ecclesiæ suffragio, quemadmodum de eligendis Episcopis agebant Imperatores Leo, & Anthemius in l. 31. cod. de Episc. & Cler., quos amabant ita ab ambitu esse sepositos: *Ut queratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitatus.* Profectò Ecclesia eos, qui matrimonium contraxerunt, non solet ad sacros suscipiendos ordines invitare. Quòd si divina voluntas specialiter id aliquando ab Ecclesia postularet, Ecclesia ipsa, quæ divina oracula optimè sentit, agnoscitque, tunc sine dissolutione conjugii vocatos à Deo maritos ordinaret, uti contingit apud Græcos; non enim æquè conjugum conditioni ecclesiasticus status, ac religiosa professio adversatur, extrav. un. de voto apud Joannem XXII. Non est tamen dubitandum, quin etiam apud Latinos recipi possit, ut maritus sacris Ordinibus initiatur, dummodò uxor con-

sentiat, & continentiam perpetuam profiteatur, eodem sanè modo, quo superius diximus, maritum etiam consummato matrimonio uxore consentiente posse vitam monasticam profiteri, can. 14. dist. 32.

Quoties conjux ante conjugii consummationem ait, se deliberare adhuc, an velit monasticam professionem emittere, potest adstringi intra certum tempus postulante altero conjuge ad professionem emittendam, qua non secuta, ad consummandum matrimonium obligetur. Hoc tempus olim determinatum non erat; cum verò proposita fuisset hujusmodi species Alexandro III., idemque Pontifex in singulari causa rescripsisset, expectandum bimestre tempus, cap. 7. de convers. conjugat., receptum est, ut regulariter duorum mensium spatium sit petenti conjugi concedendum, Dixi receptum esse; neque enim id generaliter statuit Alexander III. in dicto cap. 7., tantum duos menses præstituit, quum jamdiu diuturna lis instituta fuisset; unde colligitur, diuturnius adhuc tempus præterlapsum in proposita specie fuisse. Cæterum vulgaris illa traditio planam invenit, ac facilem excusationem usque ad tempora Tridentini Concilii, cum annis probationis causa inveniendæ vitæ monasticæ non necessariò requiretur, sed posset eidem probationis anno quasi beneficio cuidam lege concessio renunciari, cap. 16. de regularibus. Postquam tamen Tridentino Concilio cautum est, ut ab omnibus sine discrimine probationis annus impleatur, quacumque renunciatione irritata, sess. 25. de regular. cap. 15., fieri cepit locus disputationi inter Interpretes. Quidquid alii dicant, mihi probabilissimum videtur, pristinam illam duorum mensium designationem concedendam esse, antequam habitum induat conjux, sed & præterea annum novitiatus esse expectandum, imò etiam longius adhuc tempus, quoties singulares nonnullorum monasteriorum leges diuturnius tyrocinium emittendum præsti-

tituant. Idipsum dico, si puella duodecim annos tantum nata nuptui data sit; erit enim expectandum eò usque, donec annus decimussextus impleatur, juxta Tridentinam constitutionem sess. 25. de regularibus cap. 15. Neque enim verosimile est, Tridentinos Patres aut voluisse veterem jurisprudentiam abolere, ut nusquam amplius contingere posset, matrimonium ratum per monasticam professionem dissolvi, quando & id specialiter decreto confirmaverunt, can. 6. de Sacram. matrim. sess. 24., aut voluisse in proposita specie annum tyrocinii relaxare, quando de eodem anno sine ullo discrimine statuendo maxime solliciti fuerunt, dicto cap. 15., imò & in eo, qui post contractum conjugium ait, se ad religiosam vitam vocari, maturior videtur faciendum esse deliberatio, quam in aliis casibus, ob fluctuantem, qualis ex iis adjunctis adparet, animi sententiam. Neque dicas, id obesse plurimum conjugi in sæculo remanenti, quoties tandiu expectare cogatur: etenim æquo animo sustinere debet, non nisi matura deliberatione, & qua ab Ecclesia regulariter præstituitur, perfectiorem statum arripere. Quid enim, si idem conjux in-

firmaretur? Quid, si caperetur ab hoste? Quid, si aliquid simile contingeret, quo dissociari invicem oporteret?

Quari ad hanc rem posset, quid juris, si cognita à marito uxor fuerit ante celebrationem nuptiarum, item si per vim fuisset matrimonium consummatum? Neutro in casu puto dissolvi conjugium monastica professione; etenim in prima specie conjugii celebrato quodammodo ad præstitutum tempus retrorsum videtur, vel favore liberorum, uti superius traditum est, vel ut nihil inter conjuges supersit, quod præferat turpem, & inhonestam imaginem: atque in secunda specie verum est dicere, conjugium consummatum fuisse, & quidem non omnino injuria, ob factam conjugibus mutuam corporum potestatem; aliàs autem verum est, consummata conjugia per professionem religiosam dissolvi non posse. Si præterea quaeras, quam ad hunc effectum dicatur religiosa professio, paucis dicam, eam in proposito appellari, qua superius diximus, impediri omnino conjugia ne contrahantur, & postquam contracta sunt ea præcedente dissolutione, justa extravagantem unicam de voto & voti redemptione apud Joannem XXII.

QUESTIO I.

De veteri repudiorum disciplina, qualis apud Judæos, Romanosve obtinebat.

Mores Judæorum veterum, item Romanorum, quibus permissum legitimum facile conjuges dissociari, gravissimam, ut verum fatear, semper ingesserunt difficultatem iis omnibus, qui de conjugiorum indissolubilitate sermonem instituerunt. Ut de Judæis primùm loquar, legem ipsi proponunt à Mose acceptam, quæ his verbis exprimitur in cap. 24. Deuteronomii: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit*

gratiam ante oculos ejus propter aliquam fedelitatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Ex quibus liquet, Judæici repudii has fuisse leges. Primò vir quidem uxorem repu-

dia-

diare poterat, non uxor à viro recedere. Secundò non opus erat marito certas repudii causas allegare, satis erat illi, si displiceret consortium uxoris. Tertio repudium non voce tenus, sed libello, & scriptura indicendum erat. Quarto si repudiata alteri nupsisset, non poterat, ne post repudium quidem à secundo viro datum, imò nec post secundi viri mortem, ad priorem conjugem reverti, licet prior conjux eam sibi sociari iterum postularet. Sunt, qui addunt, eam fuisse etiam repudii legem, qua repudiatae permitteretur jungi secundo viro, & repudianti alteram sibi uxorem sociare. Verum fateor quidem ego, ita factò suo demonstravisse Judæos, quemadmodum etiam hodie in suis libelli repudii formulis demonstrant, eum in libello scribant, licere dimissa aliud conjugium contrahere, quemadmodum liquet ex formula ejusdem libelli, quam exhibet Sixtus Senensis in lib. 2. Bibliothecæ sanctæ verbo *Repudium* his verbis: *In sexta Sabbati, in duodecima mensis Adar, anno à creatione mundi &c. in urbe N. in Italia. Ego N. N. filius N. N. sponte mea, & ex animo, & citra ullam coactionem dimitto à me N. filiam N., & concedo ei licentiam, & potestatem, ut ad arbitrium suum abeat, quo ei visum fuerit, ducique possit ab omni viro; nec eam quisquam prohibere præsumat. in cuius testimonium dedi ei hunc librum repudii, & schedam dimissionis, atque signaculum divortii juxta constitutionem Moysi, & Israel, presentibus testibus infrascriptis.* (Subjiciuntur hic trium testium signacula.) Interea tamen ex lege Mosis nihil tale deduci videtur; quinimò ibidem secundo ducta polluta dicitur & abominabilis coram Domino. Ad summum concedam, secundo nubentem non subjectam fuisse legitimis adulteri pœnis, at scelere immunem fuisse, nec facile nec tutò audeo adfirmare. Quod omni dubitatione caret, illud est, quod generali consensione tradiderunt Sancti Ecclesiæ Patres, nimirum totam, atque integra Mosis legem, non repudii disciplinam probavis-

se, sed dispensatione quadam permisisse, ut graviora mala evitarentur. Ad rem Hieronymus in cap. 5. Matthæi vers. 31. *Moses libellum repudii dari jussit propter duritiam cordis maritorum, non à principio concedens, sed adferens homicidium; multo enim melius erat lugubrem evenire discordiam, quam per odium sanguinem fundi.* Idem Christus Dominus perspicue hoc ipsum in Evangelio explicavit; etenim Matthæi cap. 19. interrogantibus Phariseis, an liceret homini dimittere uxorem suam quocumque ex causa, atque ad eam remissis-jcientibus Mosis exemplum, qui libellum repudii dare, & dimittere mandaverat, postquam respondit, non esse ab homine separandum, quod fuit à Deo conjunctum, ait: *Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Ad Mosaicæ legis interpretationem duo necessarii sunt distinguenda. Primum est, potuisse maritos uxorem dimittere; alterum est, maritos uxorem dimissuros libellum repudii dare debuisse. In primo nulla legis potestas inerat, tantum dispensatio quadam, seu indulgentia, dixerim etiam patientiam, qua fiebat, ut dimitteus pœnam legis evaderet. In altero præceptum gravissimum continebatur; noverat enim Moses, ea ratione difficiliore fieri & rariores divortiorum causas, quod maxime erat in Judæorum Republica exoptandum, quoniam vix obtineri poterat, ut repudia abolerentur, quin graviora emergent incommoda. Quis statim non videt, Judæos ad conscribendum libellum repudii adstrictos in primis seridè de dimittenda uxore cogitare, ac deliberare debuisse? Dum hæc de liberatio fieret, sperari poterat, ut quiesceret præcepti animi flagrans impetus, qui fortè maritum corripuisset, & ad dimittendam uxorem adduceret. Deinde quoniam apta publica à Scribis publicis pendebant, & Scriba viri essent in populo selecti prudentissimi, facile evenire poterat, ut concitati conjugum animi interpositis amicorum, & prudentum vi-

rorum officiis conciliarentur, & quod gerendum erat in conscribendo libello, in irritum omnino caderet. Prudens hæc erat æconomia, qua sanè opus non fuit in novo Testamento, in quo sicut conjugium majorem accepit firmitatem ob figuram conjunctionis Christi & Ecclesiæ, majorem etiam Dei gratiam fidelibus conciliavit ob dignitatem Sacramenti accedentem, qua sanctior redditur mutua conjugum charitas, ita facilius sperandum erat, futurum, ut nulla suborirentur incommoda, quibus ad similem dispensationem esset aliquando deveniendum.

Non procul à moribus Judæorum distabat Romanorum veterum disciplina, apud quos & repudia, & divortia vigebant. Repudiorum nomine propriè intelligebant quancumque revocationem, seu dissolutionem sive jam initi, sive futuri ineundi conjugii; sed nomine divortiorum tantum dissolutionem jam initi matrimonii significabant; eamque ob rem repudiatas, vel sponsas, vel uxores dicebant, divertisse non sponsas, sed uxores, l. 2. ff. de divortis, & repudiis, l. 101. §. 1., & l. 19. ff. de verbor. signif. Non est, cur de sponsorum repudiis hoc in loco sermonem instituum, de quibus superius actum est. Tantum de repudiis conjugum agendum superest, quæ propriè divortia dicimus. Horum planè origo non adeo antiqua fuit apud Romanos, ut eorum nequeamus prima vestigia indicare. Etenim refert Aulus Gellius in lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3., per quingentos & amplius annos post Romam conditam nulla unquam fuisse conjugia divortii dissoluta, & primum Spurius Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, virum nobilem divortium ab uxore fecisse, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditæ 523., atque is Carvilius traditur, uxorem, quam dimisit, egregiè dilexisse, charissimamque morum ejus gra-

tia habuisse; sed jurisjurandi religionem animo atque amori prævertisse, quòd jurare à censoribus coactus erat, uxorem se liberorum quærendorum gratia habiturum. Paulatim eodem urbis conditæ sæculo illud Romani receperunt, ut faciliè, atque etiam pro lubitu uxores dimitterent, quibus puto plurimum stimuli adjicere potuisse exemplum Judæorum, quibuscum circa annum ab urbe condita 580. fœdus iniverant, quemadmodum legitur in 1. libro Machabæorum cap. 8., neque enim inverosimile est, divortiorum disciplinam Romanis eo usque ferè inauditam ad eosdem fuisse à populo Judæorum fœdere juncto derivatam. Ex eo paulatim factum est, ut duplex esset divortiorum genus, quorum alia ex causa dicebantur, alia bona gratia fieri; atque in eisdem distinguebantur abs Judæis Romani, quòd apud Romanos æquè vir uxorem dimittere poterat, atque uxor à viro recedere. Ex causa dicebatur divortium fieri, quòd non sponte, & pro lubito conjuges dissociabantur, sed legitimis intervenientibus causis, quæ sanè à principio ex prudentis judicis arbitrio pendebant, deinde jure determinatæ fuerunt, quemadmodum in l. 8. & 11. cod. de repud., Nov. 22. cap. 15., & Nov. 117. cap. 8. de sequentibus; quibus addi potest lex 1. cod. Theodos. de repudiis; atque ejus divortii effectus erat, ut qui causam divortio dederat, si vir esset, donationem propter nuptias, si uxor, dotem amitteret. Divortia bona gratia fieri dicebantur, quoties conjuges mutuo consensu, & sine ulla causa dissociabantur, sine ulla pœna, id est recuperante dotem uxore, & donationem propter nuptias retinente marito, quod liquet potissimum ex ejusdem divortii formula, eum diceret maritus uxori: *res tuas tibi habeto*; responderet uxor marito: *res tuas tibi agito*, l. 2. §. 1. ff. de divort. & repud. Ne verò per hunc conjugum

consensum fraus alteri fieret, cautum erat, non valere divortium, quoties patri mariti filiifamilias obfuturum esset. Quid enim, si pater in potestate filium habens dotem recepisset, & filius conjugem suam patre ignorante, vel contradicente dimitteret? Non valebat actus in fraudem patris elicius, quemadmodum ab initio matrimonium sine consensu patris contractum nec justum, nec legitimum habebatur, l. 3. & ult. cod. de repud. Item cautum fuit, ut nec mariti, vel uxoris pater dissentientibus conjugibus divortium indiceret, etiam si pater filius, vel filiam, cujus divortium desiderabat, in potestate haberet, l. 5. cod. tit. Præterea caverunt Romani, ut cum divortia fierent, de illis publicè constaret, ne passim is ad secundas nuptias admitteretur, qui in primo adhuc esse conjugio videretur; quamobrem non aliter divortium ratum habebatur, quam si septem testes, & Romani cives, & puberes interfuissent, l. 9. ff. de divort. & repud. Sed hæc divortia, quæ bona gratia fieri dicebantur, Justinianus tandem abolevisse videtur in Nov. 117. cap. 10., nisi tunc demum, quum uterque conjux de servanda continentia de liberaret, qua in specie non conjugii vinculum dissolutum fuisse credimus, sed tantum dissociatam communis vitæ olim initæ rationem; quamquam Justinus Imperator Justiniani filius voluerit veterem divortiorum bona gratia faciendorum reduci disciplinam, modò libellus repudiî describeretur, Nov. 140. quæ tamen veluti jus commune in toto Romano Imperio recepta non fuit.

Nemo non videt, hanc Romani juris disciplinam displicuisse ecclesiasticis Patribus, can. 17. 18. caus. 32. quæst. 5. can. 1. caus. 32. quæst. 7., can. 2. caus. 33. quæst. 2., quod & adnotavit, imò & demonstravit Jacobus Gotofredus in notis ad legem 1. cod. Theodos. de repudiis. Et quidem quousque de

Romanis Legumlatoribus loquimur, qui Christianam fidem necdum amplexi fuerant, nimirum à temporibus Carviliiani divortii usque ad tempora Constantini Magni, nihil est, quòd miremur, si, qui Christum aut minimè noverant, aut insequerantur, à Christi institutionibus recesserunt. Quòd si nonnulli hinc occasionem arripiant, dammandi memoriam Religiosissimorum Imperatorum, Constantini præsertim, Theodosii seu Senioris, seu Junioris, necnon Justiniani, quòd vel repudiorum disciplinam non penitus aboleverint, vel eandem statutis novis legibus confirmasse visi fuerint, ego potius excusatos quoquo modo haberi vellem; in primis, quòd leges dicendæ essent non solis Christianis, sed etiam alienæ religionis hominibus, qui tunc latissimè diffuso Imperio suberant; atque cum optimè scirent, Christianis interdita fuisse divina lege repudia, faciliè sibi persuadebant, latas de repudiorum causis, & formulis leges tanquam cæteris minimè Christianis accommodatas habitum iri. Ut enim leges illæ non repudia laudabant, nedum non præcipiebant, uti scribit S. Augustinus in lib. de bono conjugali cap. 7. unde depromptus est canon 1. caus. 32. quæst. 7., sed tantummodò faciendorum repudiorum indicabatur, faciliè intuebantur Christiani, easdem ad se non pertinere, sed ad eos tantum, qui nondum potuerant ad Christi fidem, ac legem adduci. Deinde in eisdem legibus quid aliud adparet, quam veterem repudiorum agendorum libertatem jamdiu vigentem angustioribus paulatim & sensim terminis circumscriptam à Christianis Imperatoribus fuisse, dum cautum est, à solis conjugum parentibus non potuisse repudium indici, dum cautum est, non omnes causas ad repudium faciendum sufficere, dum denique cautum est, repudia, quæ bona gratia fieri dicebantur, in posterum non lice-
re? Tantum reprehendi posset laudata
cons.

constitutio Justiniani in Nov. 140., qua iterum reducta sunt divortia bona gratia, quæ jam fuerant abs Justiniano abrogata. At de Justiniano ita dicentem Evangelium exhibet Baronius ad annum 566. num. 11. *Quoad ejus vitæ rationem attinget, delicias reverè defluxit, & mollicie, in voluptatibus obscenis volutatus, aliena pecunia adeo ardens appetens, ut omnia iniqui quasus gratia divederet, imò verè etiam ipsa Sacerdotia, divinum nomen minimè reverens, plebejis hominibus venalia palam exponeret. Cæterum ubi de Religiosis Imperatoribus, qui Justinum antecesserunt, sermo sit, erat illa prudens quædam eorundem æconomia, qui corruptos populi latè diffusi, & innumeræ gentium multitudinis mores paulatim & sensim ad Evangelicas institutiones efformare conabantur, quoad fieri posset; nec novum est, dum nequissimos abusus diuturnum tempus in magna multitudine invenit, ac fovit, interea providos Principes gravioribus occurrere, futurum sperantes, ut aliquando depereant omnes, atque evanescant. Tandem observari adhuc potest, apud Romanos disciplinam fuisse, qua patrefamilias quoddam officium ferè publicum respectu familiæ regendæ de mandatum videbatur, quod adparet in*

potestate illi concessa coercendi etiam corporalibus poenis eos, qui in familia delinquentes, quasi domestico judicio condemnatos; quam sanè potestatem, licet recentiore ætate circumscribenda fuit, olim tamen nemo ignorat amplissimam fuisse; neque enim suscipio erat, patrem improbè de suis, seu in familia existentibus judicaturum, eamque obrem de judicio patris nulla quæstio proponebatur. Hinc fortè evenit, ut, quoniam uxor in manum viri convenire dicebatur, & ad viri familiam pertinere, si fortè ab eodem viro dimitteretur, præsumeretur nonnisi ex magna & gravissima causa dimitti, quin de ea judicio publico quæreretur. At primis Ecclesiæ sæculis nondum definita quæstio erat, an nulla unquam proponi causa possit, qua conjugium dirimatur, cum de quibusdam gravissimis causis, ac specialiter de adulterio, disputatum etiam apud ecclesiasticos Patres aliquando sciamus, quemadmodum fuit superius observandum. Quibus rectè consideratis, excusandos saltem puto veteres illos Legumlatores, qui non eas de repudiis omninò abolendis leges sanxerunt, quæ recentioribus temporibus palam edæ ac proponi commodius poterunt.

QUÆSTIO II.

De secundis Nuptiis.

Huc referendus est titulus 21. lib. 4., juncto titulo 21. lib. 1. Decretalium.

Nomine secundarum nuptiarum proprie non hic eas intelligo, quæ contrahuntur, postquam declaratum est, primò contractas non valere; istæ enim licet factò secundæ dicantur, jure tamen sunt primæ: neque hic intelligo illas, quæ prioribus adhuc consistenti-

bus perperam contrahuntur; istæ enim adulteri potius, quam nuptiarum nomine dignæ sunt; etiam si tunc intè proponantur, quando divortium inter conjuges primò conjunctos celebratum fuerit. Illas potius intelligo, quæ contrahuntur à conjuge post mortem con-

jugis, vel vivente quidem adhuc conjugis, sed matrimonio etiam quoad vinculum ritè dissoluto; in iis nimirum speciebus, quas superius expendebam. Sanè cum de talibus nuptiis agimus, nulla dubitatio est, quin divina, & ecclesiastica lege non damnentur, cum vel ipse Apostolus Paulus id expressè declaraverit in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Cæterum plurima sunt apud veteres Ecclesie Patres monumenta, quibus fideles à secundis nuptiis arceri, quasi à flagitio quodam jubentur. Non enim ignoro, modò bigamos fuisse poenitentiae publicæ addictos, modò à sacris Ordinibus exclusos; modò secundis nuptiis Sacerdotalem benedictionem, quæ primis concedebatur, denegatam, can. 4. & 5. dist. 26., can. 13. 14. 15. dist. 34., cap. 1. & passim de bigam. non ordin.; cap. 1. & 4. hoc tit. can. 8. caus. 31. quæst. 1.; can. 4. S. Basilii ad Amphiloichium; & alibi quam frequentissimè. Addo, quosdam ex Imperatoribus Justiniano recentioribus abominabiles habuisse tertias nuptias, & gravibus poenis obnoxias reddidisse, uti liquet ex Novella 2. Constantini Porphyrogenetæ, quæ habetur ad galeam codicis Justiniani, atque ex Novella 90. Leonis Philosophi. Non sunt hæc ita in medio relinquenda, ut singulari observatione non explicentur.

Itaque ego in primis animadverto, veteres illos canones ac legum definitiones tunc temporis præsertim conditos fuisse, cum vigeat apud Christianos Romanarum legum disciplina, juxta quam qui divortium à conjugè fecisset, sibi blandiebatur, posse se aliud inire conjugium despectis Evangelii legibus: quamobrem secundas se nuptias celebrare dicebat, qui non nuptias celebrabat, sed turpe adulterium admittebat; quòd, si Romanis legibus sine pœna erat, non erat tamen Ecclesie canonibus tolerandum. Deinde animadvertere oportet, secundis nuptiis, quæ so-

luta omninò prioribus celebranda essent, Ecclesiam non eodem modo fuisse, sicuti primis, quamvis nec secundas ipsas nuptias, nec posteriores damnet. Agnovit Ecclesia in secundo nubentibus, vel secundam uxorem ducentibus, miserabiliorè quendam infirmitatè, cui per secundas nuptias, vel posteriores occurrebatur; quemadmodum enim in maxima erant existimatione, qui virginitatè profitebantur, nec nisi inferiore gradu erant, qui primas nuptias contrahebant; ita non nisi tertio gradu, aut etiam post tertium, qui secundas, vel posteriores nuptias contraxissent, collocabantur, quasi longè imparis meriti, atque virtutis. Neque tantum in istis quædam gravis adparebat infirmitas; verum etiam secunda ipsa, vel posteriores nuptiæ non adeo perfectè videbantur significare divina mysteria, quæ sub matrimonii specie latent, quemadmodum primæ significant. Nimirum in primis nuptiis junctus uxori maritus, junctum Christum Ecclesie representat, juxta doctrinam Apostoli; at secundæ, vel posteriores nuptiæ licet idem repræsentare etiam possint, aliqua tamen ex parte, scilicet in ea, qua respiciunt præcedens conjugium dissolutum, indicant dissociatum fuisse fœdus, quod ceteroquin indivisum Christi, & Ecclesie conjunctionem olim significabant, unde non undecumque perfectum in secundis nuptiis videtur esse mysterium. Præterea quicumque in veterum Patrum monumenta accuratius intendat, commodè observavit, Sacerdotalem benedictionem, qua conjugia consecrantur, multiplicem fuisse; erat enim benedictio illa nuptiis omnibus communis, quæ consentientibus sponsis in ipso contrahendo conjugio statim, & sine intervallo concedebatur, quom nonnulli veram Sacramenti formam putant à Sacerdote quasi à Ministro pronunciatam; erant itidem aliæ benedictiones, quæ ceremonias ce-

le-

lebrandi conjugii solemniores reddebant, dum Sacerdos etiam inter ipsa Missarum solemnias publicè sponsis bona omnia à Deo nuptiarum auctore, à Christo Sacramenti institutore, precabatur; quæ sanè omnia visus est notis singularibus perspicuè distinxisse Tertullianus, dum nuptias memoraret, quas *Ecclesia conciliat, confirmat, oblatio, obignat benedictio*, lib. 2. ad uxorem cap. ult. Recentioribus demùm sæculis à Scholasticis dubitare cœpit, num semel suscepta conjugalis benedictio iteranda esset, quam perpetuò in personis, quibus benedictum fuerat, consistere nonnulli credebant, quemadmodum arbitratus fuisse videtur Urbanus III. in cap. 3. de secundis nuptiis, dum ideo bigamis benedictione suscipienda interdicit, *quis cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet*. Atque id facile nonnulli recipere potuissent, etiam si ex duobus contrahentibus unus tantum bigamus esset, quòd bigamus ipse cum secunda conjugè benedictionem suam communem habere videretur, eodem modo, quo jura adfinitatis contractæ olim in secundum conjugem transmittentur, dum adhuc vigerent tria illa adfinitatum genera, de quibus mentio est in cap. 8. de consanguin. & adfinit. proptereaquod illud, quod dici solet de viro & uxore *Erant duo in carne una*, ita ex Scholasticorum provec̃ta interpretatione intelligebatur, ut quæ uni congruerent, in alterum transferrentur, juxta ea, quæ superius expendebam, quum de variis adfinitatum generibus agerem.

His præjactis, commodè explicantur propositi canones, aut constitutiones. Si enim ex illis adparet, bigamos ab Ordinatione sacra fuisse rejectos, constabit statim, non ideo fuisse rejiciendos, quòd criminis rei haberentur, sed quòd essent infirmiores; Ecclesiam verò consuevisse ad clerum promovere non innoxios quoscumque, sed eos, qui

digniores præ cæteris existerent. Si ex illis adparet, non consuevisse Ecclesiam secundis nuptiis benedicere, nomine benedictionis non generalem illam, & nuptiis omnibus communem intelligens, sed maxime solemnem, quæ etiamnum nostris temporibus omitti solet non omissa communi; atque ubi de canonibus recentioribus sermo sit, dicemus, ideo non adhibitam aliquandò fuisse in secundis nuptiis benedictionem, quia nonnulli piaculum putarent, eam bis recipi, ac bis concedi. Si demùm ex illis adparet, item poenitentes bigamos admissos fuisse, gravius autem poenis, seu, ut magis propriè loquar, poenitentis addictos fuisse, qui matrimonia ulteriora contraxissent, poenitentiam intelligimus non ad prænam admissi delicti luendam, sed ad infirmitatem juvenandam, fuisse eisdem impositas. Additur his, vetustioribus Patribus rigidiores fuisse formulas, quibus bigamos insequerentur, quòd tunc temporis bigami erant passim, qui primo conjugio adhuc consistente, sive secuto divortio, conjugia secunda, vel ulteriora contrahebant, quam sanè secundarum, aut ulteriorum nuptiarum speciem detestabilem omninò censemus.

Difficilius esset interpretari canonem 5. Concilii Toletani XIII. anni 683., quo à Christianorum communione seclusi fuerunt, quicumque viduatas Principum, aut Regum uxores duxissent; nisi statim observandum occurreret, constitutionem illam fuisse omninò singularem, ad quam edendam devenerunt Toletani Antistes suasionè Regis Ervigii, qui in eo Concilio præsens aderat, quique verebatur, ne vidua uxor post Regis mortem alii sociata extraneum quendam Principem in Regni possessionem induceret in suæ posteritatis, sive filiorum, & ex eis descendendum detrimentum. Non hæc odio secundarum nuptiarum edita sunt, sed ex aliis æquis causis, qualis etiam

es-

esse poterat publica quædam honestas, qua non deceret, Regiæ potestati subiectos sui Regis olim uxorem sibi conjugio jungere, eadem ferè ratione, qua apud Romanos veteres *mulier liberto viri, ac patroni sui mala ratione conjungebatur*, uti tradidit Papinianus in l. 62. §. 1. ff. de ritu nuptiarum.

Non verò primùm ad secundas nuptias contrahendas accedere permittendum cuiuspiam est, nisi iste manifestis probationibus demonstret, prioris matrimonii vinculum fuisse dissolutum, cap. 2. de secundis nuptiis; hinc si dubitaretur de morte conjugis, is, qui se exinde liberum putat, non erit ad secundas nuptias admittendus, quamquam tamen semel admissus, superveniente dein dubitatione, non sit statim dissociandus, quousque de rei veritate non constet, dicto cap. 2. vers. *si verò*. Quoniam autem non semper idem modus in promptu est, quo mors conjugis probeatur, ubi præsertim susceptæ proponantur diuturnæ peregrinationes, necessariò modus idem admittendarum probationum in arbitrio iudicis positus est, cujus tamen officium erit, ubi dubium etiam leve emergat, nuptiarum secundarum contractum impedire. Fuit olim Romani juris disciplina, qua ubi de morte alicujus dubitaretur, si per quinquennium non constitisset de ejus vita, haberetur, ac si mortuus esset, l. 6. ff. de divortii. Deinde etiam cau-

rum est, ut sufficeret quadriennium expectare, l. 7. cod. de repudiis. Sed hæc fuerunt abs Justiniano abrogata, Nov. 117. cap. 11., ubi statutum est, nunquam ad secundas nuptias transiri posse, nisi de absentis morte certa sint testimonia. Atque Justiniani providentiam confirmavisse visi sunt Pontifices Maximi, qui voluerunt, certò de morte absentis constare, cap. 19. de sponsalibus, ex quo supplendus est canon 1. vers. *Nec tamen*, caus. 34. quæst. 1., & capitulum 5. §. *Si autem* ut lite non contestata. Hinc si quærat, an uni tantummodò testi credatur, de morte conjugis testimonium perhibenti, non aliter sufficere puto, quam si agatur de teste integerrimo, atque in ea specie, qua alia conjecturæ concurrant; putà mortis in remota provincia eventus, & testimonio ita coram iudice edito, ut pensatis casuarum adjunctis admodum verosimile adpareat, nec aliter major, & uberior eventus certitudo haberi commodè possit, argumento l. 5. §. 6. ff. de re militari. Eodem modo si quærat, an sufficiat probatio vulgaris famæ, ferentis, conjugem mortuum esse; neque aliter sufficere puto, quam si fama eadem ali-quot adminiculis juvetur, nimirum iis, quibus Iudex nullam amplius dubitationem superesse prudenter existimet, argumento cap. 24. de accusationibus.

CONCLUSIO.

Quæ persecutus hucusque sum, ea non tam integrum exhibere videntur quartum Gregorianarum Decretalium librum commoda interpretatione illustratum, quam pandere altissima illa principia, quibus innotuntur multiplices leges matrimonia dirigentes, modò naturales unicuique insitæ, modò divinæ, qua in vetere, qua in novo Testamento expressæ, qua insuper perenni Pa-

trum traditione ad nos traductæ, modo humano, istaque seu in jure communi Quiritium demonstratæ, seu Ecclesiasticæ & temporum & locorum, cæterisque id genus adjunctis accommodatæ, picta à me ut plurimum imagine variarum ætatum, quæ variam disciplinam, iisdem tamen semper principii mirum in modum hærentem, identidem postularunt. Ecquidem fateor, mul-

multa me in his commentariis omisisse singularia, quæ adjici bellè potuissent: id tamen concedant viri prudentes sapientesque proposito meo, propterea quod deliberavi (puto autem uti consideratè, ita & cautè) de rebus hisce parcius ac moderatius verba facere, contentus, generales conjugiorum præceptiones expendisse, aliàs verò apprime gnarus, generales ipsas præceptiones posse ad res, & facta, quæ multa incidunt, nullo penè negotio adhiberi. Quod in conjugii præstantius est, quod dignius, quod homini ratione prædito & utenti etiam in iis ipsis, in quibus communia quædam cum cæteris animantibus habet, convenientius esse potest, id potissimum exornandum curavi; nihilque antiquius habui, quam ut disputationes universas, imò & certas legum ipsarum sententias exigere ad eos fines, quos natura possunt sanctissimos, ad quos divina voluntas mentes ipsas conjugum clementissimè elevavit, quos denique non aliter meriti sunt aut Religiosi Principes, quam si unà & publicæ societatis, aut Ecclesiastici Antistites, quam si unà & boni Ecclesiastici fines metirentur, quasi universos eodem omnino ambitu concluderent. Re enim vera qui hos ipsos commentarios legendo percurrat, inveniet passim primigenia illa sæpè inculcata naturæ dogmata, quibus insinuatum est, quotquot conjugia ineuntur, totidem esse debere vincula humanæ benevolentiæ, & societatis. Non de ea benevolentia tantùm dico, quæ invicem sancto fœdere devincit conjuges; sed de ea benevolentia potissimum loquor, qua parentes liberis, fratres fratribus, familias familiis, gentes ipsas longè latèque diffusas inde mutuo, ut ut difforni, nexu conciliat. Hæc illa charitas est, quæ infra Deum, resque divinas suprema lex est inter homines, cujus præceptum in Evangelio secundum quidem dicitur, sed simile primo, videlicet præcepto charitatis in Deum. Ad

hanc benevolentiam jura universa, & ea quæ natura inseruit mentibus omnium, & ea quæ gentes sibi ipsis communi voluntate constituerunt, facile referuntur. Ad hanc conjugii institutor Deus leges conjugiorum direxit, ne dicam illam adhuc voluisse ex primo conjugio ceu è fonte dimanare, aut certè fieri multo firmiorem, quando Deus ipse voluit ex uno viro, è cujus etiam latere uxorem eduxit, cæteros homines procreati, quasi in fraternam societatem invicem advocandos. Ad hanc positiva Levitici præcepta formavit idem Deus, ut cum in Abraham filius unum sibi populum instar familie dirigendum singulari ratione ac clementia susciperet, tum certis conjugiorum legibus institueret. Ad hanc hominum universos mores reduxit Christus Dominus in Evangelio, quando non solum quidquid in nuptiis ab ea alienum induxerat temporum corruptelæ, id totum renovatis vetustis præceptionibus improbatum voluit, atque damnatum; verùm etiam ut eadem charitas cum solidior, tum etiam purior foret, ipsam erexit in symbolum charitatis & Christum & Ecclesiam devincientis, unde conjugium ad Sacramenti dignitatem erexit. Quid aliud insuper exhibent humanæ leges, sive sacræ sint, sive civiles, in excludendis à conjugio illis præsertim, quæ arcto jam necessitudinis vinculo junguntur, quæcumque sit necessitudinis causa, non sanguis modò, aut adfinitas, sed etiam quæ consanguinitatem imitatur adoptio, aut quæ adoptionem imitari visa fuit cognatio spiritualis; ut hac ratione ibi per conjugia plurium familiarum ciceretur amor, ubi per remotas propagines, oblivione quadam parentum communium tepuisset? Quòd si etiam inter propinquos instauranda, aut confirmanda benevolentia certis de causis sit, leges ipsæ viam minimè occluserint providæ dispensationi. Hæc erant intima hujus universæ rei principia, quibus factis mul-

multa veluti consecraria fluere, & quæ consecraria non essent, certè veluti ad-
minicula quædam existere cernerentur.
Itaque dum his finibus opus meum, la-
boremque totum concludendum cen-
sui, mihi visus sum & nemini fuisse
gravis, unà etiam satis proposito meo
fecisse, quando in lucubrationibus hu-
jus generis curavi, ut altissimarum cau-
sarum adjectione lectorum fastidium si
non omninò abicerem, saltem levarem,
& certè ingenitam illam aversionem mi-
nuerem, quam pati solent viri de pu-
dicitia, de verecundia, & de castimo-
nia universæ vitæ, uti honestum quem-
que decet, solliciti, dum agentes inter
homines non possunt non impedere

quandam operam in studia istarum re-
rum, regularum, & jurium; imò &
mihi videor non sine quadam jucundi-
tate imitatus pro viribus meis pruden-
tiam Legumlatorum, quorum cum in
hac parte recensere debui, atque ex-
pendere constitutiones, & constitutio-
num formulas in juribus conjugiorum
palàm & publicè proponendis, tum ob-
servare potui, imò & mirari singularem
dexteritatem, & artem cum sagacitate
conjunctam. Si eò usque ex imbecillita-
te ingenii mei pervenire non potui, ut
lectores benevoli saltem conatus meos,
voluntatemque enixam æqui boni faci-
ant, opto, precor.

INDEX,

QUO EXHIBENTUR ORDO, ET SINGULARIA ARGUMENTA TRACTATIONIS

De Conjugiorum juribus, seu Commentariorum

IN QUARTUM LIBRUM DECRETALIU.

*P*refatio & partitio tractationis. Pag. 3.

DISSERTATIO PRIMA.

De conjugiorum natura, & dignitate; item proprietatibus, ac
qualitatibus universis. pag. 7.

QUÆSTIO I. *De vulgari matrimonii partitione in legitimum, ra-
tum, ac consummatum.* pag. 18.

QUÆSTIO II. *Quomodò in conjugio Christianorum cohercant, & ra-
tio contractus, & ratio Sacramenti?* pag. 22.

QUÆSTIO III. *An generaliter verum sit, omnia Christianorum ma-
trimonia, ne uno quidem, aut altero excepto, statim ac vera
matrimonia dici possunt, esse etiam Sacramenta?* pag. 27.

QUÆSTIO IV. *De veterum concubinato.* pag. 30.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Sponsalibus. pag. 36.

CAP. I. *Quid sint sponsalia, & quomodò contrahantur?* ibid.

CAP. II. *Quinam ad contrahenda sponsalia idonei habeantur?* pag. 46.

CAP. III. *Quinam sint sponsalium ritè contractorum effectus?* pag. 50.

CAP. IV. *Quibus ex causis sponsalia dissolvantur.* pag. 57.

QUÆSTIO I. *An sponsalia subsequente copula matrimonii jure ha-
beantur?* pag. 64.

QUÆSTIO II. *An matrimonium, aut omissis juris solemnitatibus,
aut insuper habitis juris regulis contractum, putà hodie sine
presentia Parochi, saltem habeat vim sponsalium?* pag. 66.

QUÆSTIO III. *An valeant sponsalia contracta inter consanguineos,*

Tom. III.

Kk

sub

- sub ea conditione, si Pontifex Maximus dispensaverit?* pag. 69.
 QUÆSTIO IV. *An valeant sponsalia ita contracta, ut paterfamilias alicui generaliter unam ex pluribus, quas habet in potestate, filiam spondeat?* pag. 70.
 QUÆSTIO V. *Qualis fuerit sententia Alexandri III. in cap. 16. de sponsaliibus?* pag. 72.
 QUÆSTIO VI. *An violatio alienæ sponse tanquam adulterium censeatur?* pag. 75.

DISSERTATIO TERTIA.

- De publicis futuri matrimonii denunciationibus. pag. 83.
 QUÆSTIO I. *De obligatione, qua unusquisque impeditenti matrimonii conscius ad idem impedimentum Ecclesiæ prodendum adstringitur.* pag. 92.
 QUÆSTIO II. *Quid agendum sit Parocho, qui ex una Sacramentali pœnitentium confessione novit, contracturos non esse jure ad contrahendum idoneos?* pag. 94.
 QUÆSTIO III. *De pœna eorum, qui neglectis, seu omissis sine Ordinarii dispensatione denunciationibus, conjugium celebrant.* pag. 95.

DISSERTATIO QUARTA.

- De personis ad contrahendum conjugium idoneis. pag. 96.
 CAP. I. *Generalia quædam præcepta ponuntur de legibus certa conjugia improbantibus.* ibid.
 CAP. II. *De iis, qui natura conjugium contrahere nequeunt.* pag. 103.
 CAP. III. *De iis, quorum nuptiæ irritæ ex defectu consensus declarantur.* pag. 112.
 CAP. IV. *De conjugiiis, quibus obstat necessitudo cognationum.* pag. 121.
 CAP. V. *De iis, qui aliquo jam voluntario vinculo detinentur, ne conjugium ineant.* pag. 145.
 CAP. VI. *De iis, qui diversæ religioni in Deum, ac fidei nomen dederint.* pag. 167.
 CAP. VII. *De iis, qui singularibus ex causis, aut jure Ecclesiastico, aut jure civili Romanorum, conjugia contrahere prohibentur.* pag. 170.
 QUÆSTIO I. *Quid sentiendum sit de vulgari Interpretum doctrina in impedimentis matrimonii distinguendis, ac numerandis?* pag. 180.
 QUÆSTIO II. *De matrimonialibus dispensationibus.* pag. 183.

DISSERTATIO QUINTA.

- De forma, ac solemnitatibus conjugii contrahendi. pag. 187.
 QUÆSTIO I. *An filii familias matrimonium contracturi, parentum, in quorum sunt potestate, petere & obtinere consensum necessariū debeant?* pag. 204.
 QUÆSTIO II. *De occultis matrimoniis, quæ paucorum conscientia teneatur, seu quæ matrimonia conscientie vulgò disuntur.* pag. 208.

DISSERTATIO SEXTA.

- De conjugii ritè celebrati effectibus. pag. 210.
 QUÆSTIO I. *Ad titulum De conjugio leprosorum.* pag. 215.
 QUÆSTIO II. *Ad titulum, Qui filii sint legitimi.* pag. 216.
 QUÆSTIO III. *Ad titulum De purificatione post partum.* pag. 225.
 QUÆSTIO IV. *Ad titulos, De his qui filios occiderunt, & de infantibus, & languidis expositis.* pag. 227.

DISSERTATIO SEPTIMA.

- De variis modis, ac causis, quibus legitima semel contracta conjugia dissolvuntur. pag. 230.
 CAP. I. *Generalia quædam proponuntur præcepta in dissolvendis conjugiiis observanda.* ibid.
 CAP. II. *De dissociatione conjugum, vel quoad thorum tantum, vel quoad cohabitationem.* pag. 234.
 CAP. III. *De dissolutione conjugii quoad vinculum.* pag. 240.
 QUÆSTIO I. *De veteri repudiorum disciplina, qualis apud Judæos, Romanosve obtinebat.* pag. 247.
 QUÆSTIO II. *De secundis nuptiis.* pag. 251.
 CONCLUSIO. pag. 254.